



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXVII. Ioannis Papae VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ducimur, vt quidquid iuste, & secundum Deum petieritis, a nobis impetrare valeatis, vestrisque petitionibus irrefragabiliter velimus effectum annuere. Hoc iterum iterumque monemus, & in verbo Christi edicimus, vt redire ad nos omnino festinetis; quia, sicut nos peccare timemus si vos ad sinum sanctæ matris vestræ non reducimur, ita vos in Deum peccabitis si nostram vocem audire omitatis. Data vt supra.

EPISTOLA CLXXVI.
IOANNIS PAPÆ VIII.
AD SEDESCLAVVM COMITEM.

Præcipit, vt legato, quem ad regem Bulgarorum mittit, iter tutum præbeat, ac necessaria suppeditet.

Dilecto filio Sedesclauo glorioso comiti† Sclauorum.

† De Sclauis, historia Miscellanea lib. 17. in Mauricio l. 19. & 23. Aimoinus lib. 4. c. 26. & 81. Cedrenus in Mauricio, Nicephorus l. 18. cap. 28.

QVIA fama tuæ dilectionis, atque bonitatis, & religionis in Deum ad nos vsque peruenit, confidenter gloria tuæ præcipimus, atque mandamus, vt pro amore sanctorum apostolorum Petri ac Pauli protectorum vestrorum, præsentem legatum, quem ad gentem Bulgarorum dirigimus, saluum atque incolumem venire faciatis vsque ad dilectum filium nostrum Michaellem gloriosum regem eorum; & quæcumque ei sunt necessaria ad victum & vestimentum, illi pro Dei amore administrate, quia Dominus dicit in euangelio: *Quamdiu fecistis vni de minoribus istis, mihi fecistis*: & apostolus: *Hospitales in inuicem sine murmuratione. Quia per hanc latuerunt quidam angelis hospitio susceptis*. Agat, fili carissime, de hoc tua dilectio, vt æternæ vitæ præmia percipere valeat. Data vt supra.

Matth. 25.

1. Petr. 4.

Hebr. 13.

EPISTOLA CLXXVII.
IOANNIS PAPÆ VIII.

Excommunicat Anspertum, quia ad Synodum vocatus venire contempserat.

ANSPERTVM Mediolanensem archiepiscopum quem Papiæ existentes, & postmodum ad Synodum Romæ pro multis ecclesiarum Dei necessitatibus collectam vocauimus, nec per se occurrere, nec excusationem suam

secundum sacros Canones in tractoria scriptam nobis, & sancto Concilio, causa temeritatis, & inobedientiæ dirigerenolentem, virtute sancti Spiritus, & principum apostolorum Petri ac Pauli, nostraque auctoritate, cum consensu sanctæ Synodi, corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi priuamus, quousque suam nobis præsentiam exhibere procuret. Data vt supra.

EPISTOLA CLXXVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GREGORIVM PRIMICERIVM.

Rogat vt legatos Constantinopolitanos ad se mittat. pollicetur, cum Francorum rex Romam venerit, se ad eum auxilio iturum.

Dilecto filio Gregorio primicerio ac baiulo imperiali.

RELIGIONEM tuæ caritatis in Christo, & in eius ecclesia collaudamus; & vt magis ac magis in bono opere proficias exhortamur. Legatos ab vrbe Constantinopolitana ad nos directos, per Beneuentum, deinde per Capuam dirige: quoniam iam habemus præordinatum, qualiter, Deo volente, ad nos salui atque illæsi perueniant. De nostro ad vos aduentu, quod tua, fili carissime, dilectio perscrutatur, pro certo deliberatum habuimus; sed rex Francorum ad nos properans suppliciter deposcit, vt ab Vrbe non discedamus quoquam, donec ipse perueniat. Qui cum, Domino protegente, venerit, cum valida manu, prout temporum dictat necessitas, illuc omni mora postposita studebimus omnimodis properare, pro totius sanctæ Dei ecclesiæ, & omnium Christianorum saluatione. Data vi. die Maii, indictione XII.